



Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus VI. Ut, Lite non contestatâ, non procedatur ad Testium
receptionem, vel sententiam definitivam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

cōvictus fuerit, neo ab aliena possessione recesserit, tunc male fidei possessor perhibetur.

24. Quare male fidei non indiscriminatim omnis, quocum super re vg, fundo contestata est lis, sed is tantum possessor post latam contra eum sententiam habendus est, qui injusta possessionis habuisse scientiam, temeriterque litigare, quam cedere maluisse, perspicuis argumentis fuerit convictus; ceteri autem male fidei possessoribus ac prædonibus, quales revera non sunt, nec retro censeri possunt, ceterus duntaxat post sententiam equiparantur; quod, sicut illi, sic & ipsi ex die litis contestata istiusque vi omnes fructus restituere teneantur, non in poenam, sed ex quasi contractu, litis contestatione induceto & obligante; ut fructus lite iam contestata percipiendos & casu, quo in judicio victi fuerint, restituendos custodian, ne temeriter consumant, ut cum Cuiacio Lib. 20. observat. 35. advertunt Hilliger
- in Donelli Comment. Lib. 19. cap. 14. lit. O. & Bruneman. in l. certum cit. n. 12. 25.
- Quintè, eadem actiones, ex natura sua Temporales & morte perituræ, perpetuantur, ut ad 40. annos, à litis contestata die numerandos, extendantur, l. fin. C. de Prescript. 30. vel 40. annor. l. & §. 1. in fine, C. de Annali except. & actiones 26.
- Poenales, ex delicto vel quasi delicto descendentes, ad hæredes & in hæredes in solidum transeunt, §. 1. In fine, de Temp. & perpet. act. quantumvis alias ex Juris Civilis dispositione non nisi, quantum ad istos pervenit, competenter, l. Unio. in fine, C. de Delict. defunct. Plura de litis contestationis effectibus dabunt Hostiens. in Summa, bte n. 5. & Specular. de Litis contest. §. penult. & ult. Hic monuisse juvat, relativos & ceteros effectus litis contestatione, solum validâ, induci, Auth. Offeratur in fine, C. bte; cum, quod nullum est, nullum producat effectum, l. Si se non obseruit 4. §. 6. ff. de Re judic.



TITVLVS VI.

Ut, lite non contestatâ, non procedatur ad Testium receptionem, vel Sententiam definitivam.

SUMMARIUM.

1. Rubrica hec continet Regulam:
 2. Que nititur magna ratione,
 3. Et de negocio solum principali procedit.
 4. Lite non contestata testes recipiuntur I, Cum actor contumaciter abest.
 5. II. Cum per Inquisitionem generalem:
 6. Non etiam, cum per specialem proceditur.
 7. III. Cum agitur de valore conjugij Carnalis,
 8. Et reus contumaciter abest.
- ¶. Sine

9. Sine culpa absens expectatur, donec de ejus obitu certò,
10. Aut saltem verisimiliter constet.
11. IV. Cum agitur de conjugio Spirituali solvendo,
12. Propter Prelati absentis crimen,
13. Aut nullitatem electionis:
14. Si citatus intra præfixum terminum non compareat.
15. V. Ne copia probationis pereat,
16. Propter testimoniū sc̄nium, aut valetudinem:
17. Propter eorum absentiam,
18. Vel metum Oblivionis aut variationis.
19. VI. Idem ita ad perpetuam memoriam pro reo:
20. Aliquando etiam pro auctore recipiuntur.
21. Citanda tamen est pars adversa:
22. Nisi sine incommmodo non possit.
23. Testes ita non recipiuntur pro futura accusatione:
24. Sed pro defensione rei, eam,
25. Aut etiam Civilēm conventionem resucentis.

Exordium, ut dictum, & fundamen-
tum Judicij est litis contestatio:
ante quam proinde, quia causa
principalis in judiciū deducta non
dicitur, super ista regulariter neque testes
recipi, sententia definitiva ferri potest, per
e. i. aliosque textus hisque præfixam Rubri-
cam: quæ, cùm perfectam orationem
contineat, facit Jus commune, & in con-
troversiarum decisionibus allegari pro
lege in Foro & Scholis potest & solet, per
tradita ab Everardo Legal. arg. loco à Ru-
bro n. 3. & Proœm. n. 10. Ratio clara
est; quia testimoniū receptio & definitivæ
sententiae prolatio tendit ad finiendam li-
tem: quam proinde, & judicium prius
constitutum: & quā istud constituitur,

litis contestationem factam esse oportet
prius, quā super ea testes judicialiter re-
cipiantur, & definitivè pronuntietur, Pa-
normit. in c. fin. pr. n. 2. & ibi Gonzalez
num. 4.

Dixi, Super causa principali & Re-
gulariter. Prius; quia, lite non contesta-
tā, testes alioque probationes recipi pos-
sunt. Imprimis, super incidentibus & de
novo emergentibus, vg. an citatio ad
reum pervenerit, an ille contumaciter
abst. arg. c. Interposita 70. §. fin. de Ap-
pellat. Glossa in c. fin. cit. pr. V. Proceden-
dum. Deinde super exceptionibus di-
latoriis, vg. actoris excommunicatione,
judicis incompetentiā, c. Exhibit a 19. de
Judicis: uti & super exceptionibus per-
emptoriis, quæ dicuntur litis finitæ, &
impeditiū litis ingressum, ut colligatur ex
c. 1. de Litis contest. in b. Z. Cessus adhanc
Rubric. n. 2. Et demum in judicis sum-
matiis; cùm enim in his simpliciter & de
plano procedatur: & neque libelli for-
malis oblatio, neque litis contestatio
necessaria sit, Clement. Sæpe 2. §. Nos au-
tem, de V. 8. ut Tit. I. n. 8. & Tit. 5. n. 12.
dictum est, utique sine ista testimoniū alia-
rumque probationum receptioni locus
erit. Posterius; quia pluribus casib⁹,
etiam in Judicis Ordinariis, lite non con-
testata, testes etiam super negotio prin-
cipali recipiuntur.

Et primò quidem id fieri de Jure po-
test, quando auctor, post oblatum judicii
libellum, legitimè citatio contumaciter
se absentat; tali enim casu non tantum
reus ab ea instantia five judicij obser-
vatione, si velit, absolvit: sed ad ipsius pe-
titionem à judice ad testimoniū, à reo pro-
ductorum, aliamque probationum re-
ceptionem, & sententiam quoque defin-
itivam procedi potest, secundum Auh.
Qui semel E. Quomodo & quando judec-
et. & c. Causam 3. de Dolo. Ratio, cui
ita pro-

Ita procedi contra **actorem**, non etiam contra reum contumacem, lite non contestata, possit, est partim; quia gravior est contumacia actoris, quam rei; cum enim ille item, à qua abstinerere posset, l. **Unica C.** Ut nemo **invitus** ag. Et. prior moveat; reus autem in judicium trahatur etiam **invitus**, l. **Judicium 54. ff. de Judiciis**, illius contumacia utique turpior & magis odiosa est, quam istius: partim vero; quia rei favorabiliores sunt, quam actores, l. 125. ff. de R. J. & Jura ad absolvendum; quam ad condemnandum proniora, c. **Ex literis 3. de Probat. & l. Arianus 47. ff. de O. & A.** eamque obtaufam merito cum contumaciter absente reo mitius agitur, quam cum actore, **Glossa in c. Causam cit. V. Ad dominum, & ibi Panormit. n. 15.** Plura de actoris, & rei præterim, contumacia dabimus ad Tit. 14. & 15.

Secundo, cum à judice ex officio proceditur per viam Inquisitionis, c. fin. §. **Sunt & alijs.** Qua in re tamen à Panormit, in §. cit. n. 4. tradita, & aliorum DD. magno consensu recepta est distinctio inter inquisitionem Generalem & Specialem. Per priorem enim cum proceditur, vg. cum, ac in provincia, diœcesi vel civitate crimina aliqua committantur, vel in alicujus perpetrati autorē, nullā certā persona expressa, investigatur, litis contestatio non requiritur, imo propriè fieri non potest, hoc ipsis; quod in certam personā non inquiratur, & propterea testes examinari & audiri, nullā litis contestatione facta, possunt. Per posteriorem vero, sive specialem inquisitionem, vg. super dilapidationis Ecclesiaz vel Monasterii rerum, super Simoniaz, vel alio crimen contra Prælatum, si precedente infamia vel sufficienibus indicis præviis procedatur, & reus legitimè citatus contumaciter abſit, ad testimoniū contra ipsum receptionem & ten-

tentiam vg. depositionis procedi potest, juxta c. **Qualiter 24. V. Debet, de Accusatione** delictum maneat impunitum, & Ecclesiæ **damna animarumque periculum con-**tinetur, contra Regulam c. **Uit fame 35. de Sent. excom. &l. Ita vulneratus 51. §.** 2. ff. ad L. Aquil. Si vero citatus compareat & delictum neget, lis pro contestata habetur, & iudex ad testimoniū recepcionem & absolutionis vel condemnationis sententiam procedit, Vivianus in c. **Qualiter cit.**

Tertiò, lite non contestata ad receptionem testimoniū & sententiam procedi potest in causa matrimonii carnalis, quando de ejus valore quæstio est propter allegatum à parte impedimentum dirimens, vg. consanguinitatis aut affinitatis, adhibita tamen distinctione inter duos causas. Primus est, quod reus legitimè citatus non compareat, aut maliciose latet, vel impedit; ne citatio ad se possit pervenire. Quod casu receptioni testimoniū &, si de causa liqueat, sententia etiam definitiva locuna esse, decisum c. fin. §. Porro, & ratio est; ne propter moram alteri conjugi detur occasio fornandi.

Neque huic decisioni adversatur; quod, cum de crimen adulterii ad divorcium vel dotis restitutionem agitur, reo contumaciter absente, testes recipi, & definitivè pronuntiari, lite prius non contestata, non possit, per c. i. textum. Non, inquam, hoc §. cit. decisioni adversatur; quia, cum agitur de matrimonii valore, cœla favorabilis est, & celerem expeditionem requirit; ideoque summatiæ, ac proinde, lite non contestata, procedi potest, per Clement. **Dispensacionem 2. de Judiciis**; ut, si matrimonium validum, conjux addatur conjugi: vel, si invalidum est, ad evitandum peccatum, separetur. Quando autem agitur ad divorcium, sive separationem à cohabitatione & coniuni-

T

thoro,

thoro, causa odiosa est; quia agitur de præjudicio non solum partis accusatae, sed ipsi etiam matrimonii, cuius validè contracti quoad thorum & cohabitationem disolutio contra ejus naturam petitur: & propterea hōc casu observandus est processus Ordinarius, exigens præviā litis contestationem, ut cum Glossa in Clement. cit. V. Matrimonij. & Zabarella ibid. q. 28. notat Laiman in c. 1. cit. n. 3.

9. Alter casus est, quō reus sine culpa absit; quod citari aut citatus comparere non possit. Quō casu conjugem propter captitudinem, ægritudinem, vel aliud iudicium impedimentum absentem, Donec de ipsius obitu verisimiliter presumatur, exceptandū §. cit. habetur, Verisimiliter, inquit textus, hoc est, per violentas & moralē certitudinem fundantes presumptions, arg. c. In praesentia 19. de Sponf. & Matr. & c. Dominus 2. de Secund. nupt. ut cum Hostiensi in §. cit. V. Verisimiliter, Sanchez Lib. 2. de Matrim. disp. 46. n. 9. & Barbola in c. fin. cit. n. 3. vel, ut melius⁹ alii volunt, per presumptions probables, & morali minorem aliquam certitudinem judici facientes. Quantumvis enim, cū de transitu ad secunda vota agitur, moraliter certò constare debeat de obitu conjugis prioris, quōcum matrimonium validē initum fuisse, extra controversiam est; quia hōc casu agitur de maximo præjudicio conjugis, & ipsius Sacramenti, scilicet matrimonii dissolvendi: casu tamen, quō de matrimonii valore lis est, reo absente, sufficit verisimilis presumptione de ejus obitu ad hoc; ut testes recipi, & juxta allegata & probata de matrimonio valeat pronuntiati. Ita cū Panormit. in §. Porro cit. n. 12. Laiman. Lib. 5. p. 5 cap. 3. n. 2. in fine.

10. Quartò, eadem non semper necessaria est; ut testes recipi & sententia terri possit, cū quæstio est de valore matri-

monii spiritualis, inter Prælatum absensem & Ecclesiam non solum inchoati per electionem, & antequam huic ab electo præstitus sit consensus, ut vult Glossa in §. Porro cit. V. Alicujus: sed etiam per confirmationem ratificati, & ipsam etiam confirmationem consummati ac perfeciti §. cit. cuius tamen etiam decisionem pleniorē distinctione reddet; vel enim agitur ad illum ab Ecclesiae suæ Prælatura removendum propter aliquod crimen, perpetratum ab eo, jam canonice institutum: vel propter nullitatem vg. electionis ex defectu formæ, aut personaे vitiō provenientem.

Si prius, neque statim condemnandus, aut contra eum testes recipiendi: sed contumaciter absens excommunicandus; & si, insuper habito anathemate, intra annum non compareat, tum demum contra eum ad privationis vel depositionis sententiam procedendum est, can. Rer. fus. 36. can. Quicunque 37. &c. 11. q. 3. & c. Veritatis 8. de Dolo, Panormit. in §. cit. n. 4. & ibi Laiman n. 7. Si posterius, & Prælatus contumaciter absens ad terminum peremptorium non compareat, testes recipi: & si causa liqueat, ad sententiam definitivam procedi contra eum potest, per §. cit. textum: quō ratio ea redditur; ne ob longiorem moram & diutinam vacationem Ecclesia in spiritualibus & temporalibus patiatur detrimentum. Quæ ratio, cū etiam in inferioribus beneficiis, saltem animarum curam annexam habentibus, procedat, eodem modō adversus inferiores beneficiatos, saltem curatos, procedendum, cum Innocentio in §. cit. V. Alicujus, notat Panormit. l. cit.

Quantum autem temporis spatium hujusmodi Prælato contumaciter absenti pro termino assignandum sit, variant DD. apud Glossam in §. cit. V. Definitum. Mihi non displiceret Opinio Laimanni in c. Cam-

- o. Cum olim 7. de Dolo, n. 5. Prælato solum electo sex menses: ei vero, qui insuper confirmatus, aut consecratus jam est, majus temporis spatium indulgendum, afferentis, præsertim, si iste extra provinciam ab sit: sicut c. cit. ei ad compendium integer annus est assignatus. Si 14. vero posteriori casu electus ab sit fine contumacia: aut, ubi versetur, ignoretur, sex, juxta §. cit. vel si ad Cathedralem, vel inferiorem, sed sedi Apostolicae immediatè subjectam Ecclesiam electus sit, tribus mensibus erit expectandus, arg. c. Quam sit 6. de Elec. in 6.
15. Quinto, testium examini & attestacionum receptioni, lite non contestata, locus in causis Civilibus est, quoties rationabiliter timeretur; ne alias rei veritas occultetur & probationis copia subtrahatur, c. fin. cit. pr. & c. Cum dilecta q. V. Nos igitur attentes, de Confirmat. util. si-
cū contingit.
16. Primo, cùm testes, ex quorum depositionibus de rei alicuius veritate constare potest, sunt senes, pr. cit. cuiusmodi, licet non centenarii duntaxat & octogenarii, sed etiam septuagenarii censeantur, in proposita tamen materia judicis, ipsorum complexionem (quā consideratā non o-
nus eōdem aetatis anno: sed aliqui ci-
tius, alii tardius senescunt) æstimantis arbitrio, cum Innocentio in pr. cit. n. 3. & Panormit. ibid. n. 18. Farinacius Prax. Criminal. q. 76. n. 83. ita permittit; ut eum, qui septuagenarius aut major est, pro sene habere semper debeat: eum vero, qui illa aetate minor, quinquagenario tamen major est, an senex vel non sit, arbitri ex complexione sive habitudine corporis possit.
17. Secundo, cùm iudicem sunt valetudinarii; ut, ne præmoriantur, timeri rationabiliter possit ex corporis pericolosis morbis obnoxii, debilitate: vel profectu-
- ri ad bellum, aut periculosam navigationem in gressuri, arg. pr. cit. Qua in re iterum judicis, rerum circumstantias ponderantis, prudenti arbitrio locum esse, cum cit. Innocent. n. 2. & 3. & Panormit. n. 19. adverit idem Farinac. n. 86. & 89.
- Tertiò, cùm iudicem diu & in locis 18. multum remotis abfuturi sunt; ut neque ipsos ad testimoniū dicendum advocari: neque eorum examen & depositionum receptionem aliis committi & obtineri facilē posse, judicetur, cit. Innocent. n. 2. Panormit. n. 21. & Farinac. n. 85. Eodem modo de facto in loco valde remoto examinatione ibi peti posse: & attestatio-nes in domicili & judicij loco exhibitas fidem facere, docet cit. Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 112.
- Quartò, cùm morale periculum est, ne testes, si eorum examen differatur, oblituri sint facti, præsertim valde intricati, super quo eorum testimoniū desideratur, ut colligitur ex cit. pr. Verbis, Ne fortuitis casibus copia probationis subtra-hatur: & à paritate instrumentorum, quæ, cùm periculum est, ne ob nimiam vetustatem corrumptantur, & probandi vim amittant, renovanda sunt, per cit. V. Nos igitur attentes. Ratio est; quia testis rei oblitus de ea testimonium perhibere, perinde ut mortuus, non potest, Haunold. ibid. n. 111.
- Quinto, cùm periculum est; ne te-
stes, propter affinitatem, vel aliam necesi-
tudinem cum adversario contrahendam,
veritatem cum tempore suppressuri sunt,
aut variatur, cit. Panormit. n. 6. & Fa-
rinacius n. 43.
- Sexto demum, quando testium re-
ceptione ad perpetuam rei memoriam ad-
hibetur: quæ ex hac causa pro reo fre-
quenter: pro actore autem raro concedi solet; cùm iste agere, si velit, plerumque possit; ac proinde ferre sibi tantum
debeat.

debeat imputare, quod non agat, quando testes aliasque probationes paratas habet: contra in rei potestate non sit, quando ab actore conveniatur, *cit. Farinacius n. 11. & Haunold. n. 14.*

20. Dixi, *Rard:* non, *Nunquam;* cum enim non defint casus, quibus etiam actor, licet maximè velit, agere tamen non valeat, examinatio testimoniū ad perpetuam rei memoriam aliquando etiam ipsi conceditur, vg. cum agere vult ex testamento; cum enim hoc non possit, nisi conste de illius valore, utique super isto prius testes recipi, necesse est, quam agat ex testamento, *Panormit. in c. Significavit 41. de Test. & attest. n. 4. & cit. Haunold. n. 115.* cum ei debitum est in diem, vel id à futura conditione aut alieno arbitrio dependet; cum enim ante diei adventum vel conditionis impletionem, aut aliena voluntatis declarationem agere non valeat, et quum omnino est; ut, talibus causibus ad certificandum debitum, testimoniū examen & attestacionum receptionem petere, etiam ipsi permittatur, ut desumitur ex *I. In lege 40. ff. ad L. Aquil. & Bartolo.* *Baldo* aliisque DD. allegatis docent *Farinac. q. cit. n. 12. & novissimè Brunneman in l. cit. n. 6.*

21. Ut autem, lite non contestata, receptae testimoniū depositiones valeant, plerique & recte exigunt; ut, si commode queat, citetur pars adversa; quia interesse debet testimoniū productioni ac juremento, *e. In nomine 2. de Test. & attest. cum generaliter, quando de alicujus interest agitur, semper is ad judicium vocandus, l. De unoquoque 47. ff. de Re judicata Vel; ut actor, si reus sive adversarius per absentiam, non malitiosè procuratam, citari nequeat, intra annum à tempore, quo reum convenire potuit, numerandum, instituat actionem: vel saltem isti denuntiet factam testimoniū re-*

ceptionem; ne forte per fraudem reo ripiatur conditio, oppositis legitimis exceptionibus testes repellendi, per pr. cit. textum, *Glossam V. Intra annum, & V. ad Repellendum,* aliisque Interpp. & DD. ita; ut, si intra annum, cum posset, neque actionem instituat, receptionis testimoniū denuntiationem faciat, id fraude & ad excipiendi commoditatem reo admendam omisum, Juris & de Jure præsumptio sit; ac proinde in contrarium probatio directa non habeat locum, *Directa, inquam, sive respectu fraudis: non indirecta;* quia, si actor, ad cuius instantiam testes recepti sunt, inta annum reum convenire, eique testimoniū receptionem denuntiare, in sua potestate non fuisse, probare vellet, eum non repellendum, cum cit. *Panormit. n. 12.* docent *Menoch. Lib. 2. Presumpt. § 4. n. 3. & Farinac. q. cit. n. 170.*

Dixi etiam, *Si commode queat;* quia, si mors aut citatio denuntiatione periculum afferret, à Juris communis Regulis & rigore recedere liceret, arg. *I. De pupillo 5. §. 12. ff. de Novi op. num. adeò;* ut, si præfens necessitas vg. periculum mortis alicujus testis exigat, istius receptione coram judice etiam incompetente, & parte non citata, subsistat, arg. *I. fin. G. de Testibus, Bartol. in I. Admonendi 31. ff. de Jurejurando n. 41. & Gaill. Lib. 1. Observat. 93. num. 3. &c.* si adversarius propter ipsius potentiam & tyranidem, sine gravi incommmodo conveniri, eive receptione denuntiari non posset, ista, sine prævia monitione ac denuntiatione subfecuta, valeat, *Vallens. ad hanc Rubr. n. 3. in fine.*

Præterea suprà dixi, *In causis Civilibus, aut etiā in Criminalibus, civiliter intentatis;* si enim de crimine ad instantiam partis ageretur criminaliter, ante item cum reo contestatam, pro futura accusatione

tione testes recipi non possent: etiam si
criminis probandi copia ob illorum mor-
tem, absentiā, oblivionem interitura
timeretur, ut argumento ductō à contra-
rio defumitur ex pr. cit. verbis, *Cum civi-
liter est agendum*: atque cum *Glossa V.
Civiliter notat* cit. Panormit. n. 5. & Re-
gulae instar tradit. cit. Farinac. num. 113.
Ratio est: quia agitur de gravissimo præ-
judicio rei: quem etiam absensem absol-
vi, satius est, quam innocentem condem-
nari, l. *Absentem* 5. ff. de *Panic.* Unde
in causis Criminalibus etiam probationes
liquidæ & indicia luce meridianâ clariora
exiguntur, l. fin. C. de *Probat.* & can. E-
24. *piphanum* 5. q. 6. Pro *Accusatione*, in-
quam, *Futura*; quia pro defensione &
sua innocentiae probatione reus testes
producere, eorumque examen petere,
quandocunque vult, potest, cùm: quod
ejus causa favorabilior sit, quam actoris,
Lavorabiliores 125. ff. de R. J. tum ve-
rò; quod in ipsis potestate non sit, quan-
do conveniatur, l. *Purè* 5. §. fin. ff. de *Do-
mali except.* Baldus in c. fin. cit. n. 7.
Gaill. Lib. 1. *Observat.* 92. n. 15. & Fari-

nac. q. cit. n. 127.

Idem reo etiam permittitur in cau- 25.
sis Civilibus; timens enim, ne sibi
super contractu aut alia re gesta cum
tempore controversia moveatur, & in-
terea pereat copia probationis, petere à
judge, lite non contestata, potest; ut
adversarij & aliis, quorum interest, voca-
tis, pro defensione five exceptione sua ex-
aminentur testes, non tantum fenes, in-
firmi, absuti, sed quicunque negotio
interfuerunt: eorumque depositiones &
dicta publicentur, & ad perpetuā rei me-
moriā in publicum instrumentum re-
digantur, juxta c. *Significavit* cit. *Glos-
sa inc. fin.* cit. §. *Sunt & alii V. Publicatio*
& aliis DD. relatis Farinac. q. cit. n. 64.
Nisi tamen actor præsens ad agendum fe-
offerat; hōc enim casu testium, quos pro-
pter senium aut debilitatem præmoritu-
ros, aut, cùm recipiendi essent, absuti-
ros, periculum non est, etiam pro parte
rei receptio usque ad litis contestationem
esse differenda, Joann. Andr. in c. *Signi-
ficavit* cit. n. 10, & cit. Farinac. n. 74.



TITULUS VII.

De Iuramento Calumniæ.

SUMMARIUM.

1. *Prestatur hoc post litis contestatio-
nem,*
2. *Vel postea in quaevia parte prima,*
3. *Et in secunda instantia repetitur.*
4. *Prater id locus est juramento Maliti-
tie.*
5. *De Calumnia præstandi natura.*
6. *Differentia à Malitia & Veritatis ju-
ramentis,*
7. *Et Calumniajuramenti objectum de-
claratur.*
8. *Præstandum hoc est à litigantibus
principalibus:*
9. *A Tutoribus, curatoribus, syndicis,*

T 3

10. Et